SOLLEMNIA DISPUTATIONIS PUBLICAE

PRO IURIBUS MAGISTERII IMPETRANDIS

D. XXVIII APRILIS H. XI

A

CAROLO KOCHIO

VIMARIENSI
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE

HABENDAE

INDICIT

CAROLUS GOETTLINGIUS
ORDINIS PHILOSOPHORUM H. T. EXDECANUS.

Inest commentatio de Sacra Via Romana.

IENAE
TYPIS GEORG. SCHREIBERI.
MDCCCXXXIV.

DE SACRA VIA ROMANA.

Notissimus est locus in satiris Q. Horatii, ubi ambulantem in sacra via Romana ab ardelione quodam totum se occupatum esse dicit poeta ut quomodo ex laqueis ineptissimi hominis se explicaret fere nesciret. Finxit igitur se visitare velle amicum aegrum trans Tiberim cubantem sperans fore, ut ille longinquitate ambulationis deterreretur. Frustra. Etiam eo se cum velle sequi affirmans comitatur Horatium usque ad templum Vestae, ubi a concursitantibus multis et in ius hominem vocantibus tandem liberatur poëta. Is locus Horatii magnam praebuit difficultatem in describenda sacra via recentioribus topographis urbis Romae. Duos tantum proferam. Atque alter quidem, qui magnam apud Romanos auctoritatem adeptus est, Antonius Nibby sententiam dixit in libro: Del foro romano della via sacra dell' anfiteatro Flavio e de' luoghi adjacenti Rom. 1819. p. 179. Locum adscribam integrum quoniam in paucorum manibus liber est his quidem terris: La via sacra, sebbene fosse una delle strade più celebri e più antiche di Roma e da lei traesse nome la IV. Regione, pure non era circa la sua origine così conosciuta, e gli antichi scrittori, che ne trattano non sono affatto di accordo. Le due opinioni più communi erano, che essa fosse così denominata per il trattato di alleanza ivi conchiuso fra Romulo e Tazio (Dion II. p. 111.) o perchè la strada si teneva dai sacerdoti per fare i sagrifiej nel Campidoglio (Varr. L. L. IV, 8.) Essa comminciava al sacello di Strenia nel Ceroliense, dove la via denominata le Carine sboccava, cioè nella piazza avanti l' anfiteatro Flavio e quello dicevasi *Caput sacrae viae;* passava fra il tempio di Venere e Roma e le sostruzioni Neroniane ancora esistenti, dove fu la *Summa sacra via* e diriggendosi verso il Campidoglio traversava il sito, dove poi la basilica di Constantino fu edificata, onde, allorchè fu costrutto quell' edifizio, gli fu data una deviazione più a sinistra come evidentemente si osserva ed in quella occasione si doverono distruggere case de' particolari. Quindi costeggiando il lato meridionale della basilica passava avanti il tempio detto di Remo ed il tempio di Antonino e Faustina, dove si è scoperta negli anni scorsi a piedi della gradinata del tempio stesso. La si dividava in due rami, uno entrando nel Foro andava a raggiungere il clivo del Asilo e di là saliva alla citadella; dell' altro si è

a lungo discorso dove trattossi del Lupercale e si vide che si distaccava verso mezzogiorno lasciava a destra il Comizio e la Grecostasi passava dietro la Curia e costeggiando il luco di Vesta con uno ramo audava al Circo e coll' altro saliva al Palatiuo." Sic A. Nibby. Alter quem proferam multo maioris est auctoritatis apud Germanos, vir immortalis memoriae, B. Niebuhrius, qui iu histor. Roman. (ed. III.) T. I. p. 324 ita: Als beyde Staedte (Sabinorum et Latinorum) mit Gleichheit verbunden waren, erbauten sie auf der Strasse vom Quirinal zum Palatium, als Thor der doppelten Landwehre, welche ihre Weichbilder schied, den doppelten Janus, jeder Stadt mit einem Thore zugewandt: offen in Kriegszeiten, damit von der einen der andern Beistand zuziehen könne, geschlossen im Frieden: sey es, um unbeschränkten Verkehr nicht zuzulassen, woraus Fehden entstehen konnten, oder als Symbol verbundener Geschiedenheit. Die Scheide beider Orte duerfte durch die Via sacra bezeichnet seyn, welche von der Höhe der Velia (ad arcum Titi) zwischen dem Quirinal und dem eigentlichen Palatinus, und dann sich umbiegend, zwischen diesem und dem Capitolinus fortläuft, bis zum Vestatempel, von wo sie sich quer über das Comitium gegen das Thor des Palatinus wandte: offenbar zu gemeinschaftlichen Opferzügen bestimmt." Harum topographiae turbarum nullam esse aliam causam dico, quam male intellectum locum Horatii, cuius supra mentionem feci. Longe enim aliter topographorum Romanorum antiquissimus, M. Terentius Varro de L.L. V, 47. (p. 18. Muell.) *Ceroliensis a Carinarum iunctu dictus Carinae, postea Cerionia, quod hinc oritur caput Sacrae Viae ab Streniae sacello, quae pertinet in Arcem, qua sacra quotquot mensibus feruntur in Arcem et per quam Augures ex Arce profecti solent inaugurare. Huius Sacrae Viae pars haec sola volgo nota quae est a foro eunti primore clivo.* Accedit S. Pompeius Festus v. *Sacram viam quidam appellatam esse existimant quod in ea foedus ictum sit inter Romulum ac Tatium, quidam quod eo itinere utantur sacerdotes idulium* *) *sacrorum conficiendorum causa. Itaque ne eatenus quidem, ut vulgus opinatur, sacra appellanda est a regia ad domum regis sacrificuli, sed etiam a regis domo ad sacellum Streniae et rursus a regia usque in Arcem. Nec* [coniuncte] *appellari debere ait Verrius sed disiuncte ut ceteras Vias Flaminiam, Appiam, Latinam. Ut ne NovamViam quidem sed Novam Viam* **). Atque Varronis quidem locum sic emendare conatus est Bunsenius: Beschreibung der Stadt Rom. T. I. p. 693: *Postea sacra Via* (i. e. Regio urbis Romae, quae sic dicitur), *quod hinc oritur caput Sacrae Viae.* Sed recte monuit Muellerus, sic obscurum relinqui Ceroliensem. Contra

*) Male ab A. Nibby conicitur *in Capitolium.* Idulia sacra sunt quae Idibus uniuscuiusque mensis (quotquot mensibus Varroni) feruntur.

**) Qui *Viam Sacram* dicunt, traiectis vocabulis, contra morem dicunt antiquiorum Romanorum. Horatius enim propter versum hoc fecit.

perspicuum esse videtur, a caerimoniis derivasse Varronem Cerioniam; atque satis explicatur eo quod additum est ab eo, *quod hinc oritur caput Sacrae Viae.* Dictam enim hanc esse putat a sacris caerimoniis. Sed quicquid tandem sit huius loci, patet a Varrone et Verrio *unam* tantum Sacrae Viae *lineam* dici, a Streniae sacello (prope ab Amphitheatro Flavio) usque in Arcem, ab oriente versus occidentem. Atque hanc quidem lineam primam fuisse anguralem, probatur eo quod narrant Cicero de off. III, 16 et Valerius Maximus VIII, 2, 1.: Claudius enim Centumalus ab auguribus iussus altitudinem domus suae, quam in Coelio monte habebat (Amphitheatrum Flavium seu Colosseum est ad pedes Coelii) submittere, quia his ex Arce augurium capientibus officiebat, vendidit eam Calpurnio Lanario. Adde Festum s. v. *Summissiorem.* Hinc etiam Livius est explicandus I, 18. qui non contrarius est Varroni (de Ling. lat. VII, 7.): *Eius templi partes quattuor dicuntur, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad Septentrionem:* hac enim regiones non dictae sunt a sede auguris, sed eius qui considens versus meridiem inaugurabatur (V. Liv. l. l.) Apertum est igitur Sacrae Viae lineam esse eam, quae limes decumanus dicitur ab agrimensoribus et auguribus V. Plin. H. N. XVII, 22. XVIII, 33. Goesii antiq. agr. p. 80. Mazochi Tab. Heracl. p. 181. Videamus igitur primum, quid animadvertendum sit in toto huius viae ambitu a Sacello Streniae usque in Arcem. Distinguendae sunt autem tres totius Viae partes, prima oeconomica, altera sacra, tertia politica. *Summa sacra Via* seu *caput eius* dicebatur pars ea, quae a sacello Streniae usque ad domum regis sacrificuli patens ex oriente, ubi in aream ante amphitheatrum satis amplam exibat, sursum versus ducebat. Hic viae quasi terminus Neronis temporibus colossus erectus erat, Varronis temporibus aurea imago, ubi poma venibant (de re rust. I, 2.). Eodem loco erant Larium sacellum, et A. Martii plebis patroni aedes; porro statua equestris Claeliae. Hanc enim in *summa sacra via* erectam esse dixit Livius II, 13. cui non adversatur Dionysius Halicarnassensis V, 35.; *Κλοιλίᾳ δὲ τῇ παρθένῳ στάσιν εἰκόνος χαλκῆς ἔδοσαν ἣν ἀνέθεσαν ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ, τῆς εἰς τὴν ἀγορὰν Φερούσης, οἱ τῶν παρθένων πατέρες,* quum hic noluisset regionem sacrae viae accuratius describere, sed auctoritatem et honorem huius statuae inde repetere, quod in via posita fuerit, quae ad forum, Romanorum locum auguratissimum, duceret. Sequebatur secunda pars Sacrae Viae, quae proprie sic dicebatur et sine addito alio vocabulo. Huius initium ex Hadriani tempore erat templum Veneris et Romae in fastigio summae sacrae viae e regione arcus Titi, ante Hadrianum vero domus regis sacrificuli, quae vicina erat huius templi pertinebatque haec pars usque ad regiam vel ad fornicem Fabianum. In fastigio summae sacrae viae fuisse templum Veneris et Romae ex iis colligitur, quae Dio Cassius LXIX, 4. de Apollodoro architecto tradidit. Hic enim Hadrianum vituperaverat, quod huic templo non altiores dedisset substructiones; unde et sacrae Viae sublimiorem exitum et recepta-

culum machinarum pro amphitheatro lucratus esset. Domum regis sacrificuli contiguam fuisse cum domo Vestalium et pontificis maximi, quarum alteram C. Julius Caesar habitare solebat recte probavit Nardinus Rom. Vet. p. 1033. Sequebatur templum Pacis, post vero templum Remi, templum Faustinae et Antonini tandem regia. Haec erat basilicarum — nam nomine nihil differt regia a βασιλικῇ *) — antiquissima, Opis Saturni coniugis templum. V. Festus s. v. *Opima spolia.* Narratur praeterea miri aliquid de hac regia ab eodem Festo v. *October equus* appellatur, qui in campo Martio mense Octob. immolatur quotannis Marti, bigarum victricum dexterior; de cuius capite non levis contentio solebat esse inter Suburanenses et Sacravienses, ut hi in Regiae pariete, illi ad turrim Mamiliam id figerent; eiusdemque coda tanta celeritate perfertur in Regiam, ut ex ea sanguis destillet in forum, participandae rei divinae gratia. Quem hostiae loco quidam Marti bellico deo sacrari dicunt. — Eam autem contentionem hanc habere significationem, ut Sacravienses Opi, pacis deae, hunc equum tanquam agrariam, Suburanenses vero Marti ut bellicam hostiam sacrificare studerent, satis patet, si recte intellexeris, quae fuerit turris Mamilia. Haec enim cum gente Mamilia nihil videtur commune habuisse; sed ad Mamertem seu Martem pertinere. Turres autem alta templa esse notum est ex Cic. Cat. III, 8. Tusc. V, 20. Clausit hanc partem Sacrae Viae fornix Fabianus, V. Schol. Cicer. Gronov. p. 399 Orell. *Sacram ingredientibus Viam post templum Castoris* **), *in quo* (fornice) *eius familiae nomen adscriptum est: Fabi tu Maximus ille es.* De hoc fornice Cicero loquitur pr. Planc. 7. *Equidem si quando, ut fit, iactor in turba, non illum accuso, qui est in summa sacra via, quum ego ad Fabium fornicem impellor, sed eum, qui in me ipsum incurrit atque incidit.* Non longe distabat puteal Libonis. V. Heindorf. ad Hor. Sat. II, 6, 35. Per Fornicem Fabianum aditus patebat in forum romanum cuius septentrionale latus ex ipsis aedificiis conficiebatur tertiae partis Sacrae Viae. Politicam dixi hanc partem Sacrae Viae, quod forensis erat. Sed vulgo haec pars non dicebatur Sacra Via ab Romanis, sed habebatur pro initio Clivi Capitolini. Cf. Plin. H. N. XVIII, 1. *Mox Caesar dictator totum forum Romanum intexit viamque sacram ab domo sua ad clivum usque Capitolinum.* Cum hoc componas quae Varro l. l. dicit: *Huius Sacrae Viae pars haec sola volgo nota, quae est a foro eunti primore clivo*, ubi sine dubio legendum est, *quae est a foro eunti prima ora clivi* (sc. Capitolini). Nam quod Bunsenius l. l. p. 693 acute coniecit *proxima sacro clivo* eam ob causam non satis placet, quod *sacer clivus* non memoratur ab ullo scri-

---

*) Sic alia quaedam regia non procul a theatro Pompeii memoratur a Suetonio Aug. 31. et Asconio p. 27 Orell.

**) Potius templum Castorum solebant antiqui dicere Plin. H. N. XXXIV, 5. XXXV, 4. Sic etiam Rufus et Victor.

ptore nisi ab Horatio Od. IV, 2, 33. Concines maiore poeta plectro Caesarem quandoque tradet feroces per *sacrum clivum*, merita decorus fronde, Sicambros, qui sic dixit *Sacram Viam* poetice. Clivum eam partem sacrae Viae dictam esse vel recentioribus testantur Acta S. Pigmenii apud Nardinum pag. 1038., quanquam ibi pro templo Remi male legitur *Romuli*. Finis Sacrae Viae in planitie fuit arcus Septimii Severi, qui in eo ipso loco erectus esse videtur, quo antea Tiberius arcum aedificari curaverat. V. Tacit. Annal. II, 41. Ultra Septimi arcum versus sinistram patebat angiportus medius clivi Capitolini, cuius silices etiamnunc spectare licet inter columnas templi Jovis Tonantis (si recte ita dicitur) et Fortunae. (Cf. Festus s. v. *Stercus*.) In imo clivo autem ad pedes Capitolii ultra Septimii arcum castrum erat, cuius incolae dicebantur Saturnii propter aedem Saturni, qui in hoc castro erat, ut eo fortius aerarium in hac aede conditum posset defendi. In eodem castro erat carcer Tullianus seu Mamertinus, seu lautumiae. (Cf. Varro de Ling. lat. V, 151.) De toto castro vide, quae prodidit Festus v. *Saturnia* p. 253 Lindem. Adde Dionys. Hal. I, 34. ὁ βωμὸς τοῦ Κρόνου — ἔτι καὶ νῦν διαμένει κατὰ τὴν ἄνοδον τὴν ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς φέρουσαν ἐς τὸ Καπτώλιον.

Ex omnibus, quae exposita ab nobis sunt, conficitur, huius Sacrae Viae, quae limite decumano contineretur nullum fuisse angiportum, qui ex foro duceret in Palatinum montem, et ad Vestae templum, qualem statuebat cum aliis Niebuhrius. Atque Asconius, qui vicum eum probe noverat, qui a sinistra parte fornicis Fabiani, si a summa sacra via veneris, versus Palatinum duceret, aperte ipsum hunc vicum discernit a Sacra Via his verbis (p. 27 Orell.). *Demonstrasse Vobis memini, hanc domum (Scauri) in ea parte Palatii esse, quae, cum a sacra Via descenderis* (Nardinus p. 1044 *discesseris*) *et per proximum vicum, qui est ab sinistra parte prodieris, posita est.* Eodem fere modo Dionysius Hal. II, 50. παρὰ ταῖς καλουμέναις Μυκωνίσι πύλαις, αἳ φέρουσιν εἰς τὸ παλάτιον ἐκ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ, i. e. prope a porta Mugonia, quae in Palatium ducit, si quis eo ex Sacra Via per illum vicum tendat. Hunc vicum, qui hinc ad portam Mugoniam, illinc ad Carinas ducebat plerumque *Sub Velia* dictum esse ex Dionys. Hal. I, 68 concludas. Quod autem Niebuhrius dixit Sacrae Viae linea fines antiquissimos urbis Romae designari magnam quidem habet speciem eo, quod terreus murus in ea regione non longe a Carinis memoratur, verum si accuratius consideres, haec sententia eo concidere videtur, quod cur ceteri fines Romae non aeque sacri fuerint atque hi, quos Niebuhrius commemoravit, non ita facile perspicias. Accedit quod aedes Vestae, quam in sacra Via, i. e. in antiquo aggere Romuli fuisse Niebuhrius opinatus est, *extra Romam quadratam* condita erat. V. Dionys. Hal. II, 65. μέγα δὲ τούτου τεκμήριον ὅτι τῆς τετραγώνου καλουμένης Ῥώμης ἣν ἐκεῖνος (Ῥωμύλος) ἐτείχισεν, ἐκτός ἐστιν. Neque in eo possum consentire cum Niebuhrio, quod is Veliam dicit esse illum aggerem, in quo

Titi arcus exstructus est. Velia enim, Palatini montis pars excelsior, erat versus forum: Dionys. V, 19. ὑπὲρ ἀγορᾶς λόφος ὑψηλὸς ἐπιεικῶς καὶ περίτομος. Cic. de rep. II, 31., prope a Lupercali (Cicer. ep. VII, 20.) et a Victoriae fano (Ascon. in Cic. Pison. p. 13. Orell.), quod erat in cacumine Palatini montis (Dionys. I, 32.). Ne quis autem ad Horatii locum in satira pro ista sententia provocare possit, impedit totius narrationis genus, quo usus poeta est. In ambulantem in Sacra Via Horatium grassatur importunus homo; a quo misere discedere quaerens poeta fingit se visere velle aegrotum trans Tiberum habitantem. Nihil proficit, etiam eo se persecuturum Horatium asseverat ille. Quid igitur erat reliquum quam ea via pergere, qua se iturum esse Horatius finxerat? ad fornicem Fabianum ex Sacra Via sinistrorsum se convertunt tanquam Tiberim petituri, progrediuntur eo vico, quem *Sub Velia* vocatum esse supra conieeimus et tandem ad Vestae templum perveniunt. Hic in ius rapitur comes importunus. Qui fieri igitur potuit, ut in Sacra Via fuisse Vestae aedem quis putaret, quum nemo veterum hoc dixisset?

Sed satis dictum esto de Sacra Via. Quod reliquum est ad disputationem publicam, qua vir doctissimus

CAROLUS KOCHIUS
Medicinae et Philosophiae doctor

commentationem a se *de phytochemicis quibusdam* conscriptam d. XXVIII. April. defendet, ea qua par est pietate et observantia invitamus Prorectorem Academiae magnificum, Curatorem eiusdem splendidissimum, Professores et doctores illustres clarissimos, Commilitones humanissimos.

Dab. Jenae d. XXV. Apr. MDCCCXXXIIII.